

**De medicina militaris apud veteres Graecos Romanosque conditione. X / D.
Carolus Gottlob Kühn.**

Contributors

Kühn, Karl Gottlob, 1754-1840.

Güntz, Eduard Wilhelm, 1800-1880.

Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Leipzig] : [publisher not identified], [1827]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g5vf7393>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E.library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. CAROLUS GOTTLOB KÜHN

PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE PROF. PUBL. ORD.

ET

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I V S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

I N

A V D I T O R I O I V R I D I C O

D. X. MENS. APRILIS A. C1810CCXXVII

C E L E B R A N D A M

I N D I C I T

*De medicina militaris apud veteres Graecos Romanosque
conditione.*

X.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22416948>

Deducta medicinae militaris historia usque ad decimum post Chr. nat. seculum, unus adhuc locus diligentius perlustrandus restat. Scilicet exponendum est, quibusnam stipendiis conducti, aut quibusnam praemiis aucti ornatique fuerint, qui olim munere medici militaris fungebantur. Priusquam autem hunc locum excutiam, liceat quintae de eodem argumento prolusioni quaedam adhuc addere. Pag. 12. tres a me allatae sunt inscriptiones, quae medicorum duplariorum faciunt mentionem, quorum numerum nunc quarta, nondum edita, augere possum.

Scilicet Illustris WEIGELIUS, medicus Dresdensis, cum nuper in Italia commoraretur, lapidem quadratae formae, Misennae repertum, et medici duplarii classis stationariae mentionem facientem, sibi comparavit cum inscriptione hac, quam mihi pro insigni sua erga me amicitia publicandam permisit:

D. M.

IVLIAE. VENERIAE
M. SATRIVS. LONGIN
MEDIC. DVPL. III. QP D
ET. IVLIA. VERIA. LIBER
HER. BENE. MER
FEC.

Clariss. MARINIUS, qui Romae ob antiquitatis scientiam nominis celebritatem nactus est, cum de sensu quarti versus interrogaretur, respondit, legendum esse: *Medicus duplarius triremi Cupidine s. cuius insigne Cupido erat.* Eodem modo MURATORIUS p. DCCLXXV. legit inscriptionem:

C. AEMILIO. SEVERO

T^N. PAN. VIX. AN. XLII.

MIL. ANN. XXII. III. HER

Caio Aemilio Severo, Centurioni, natione Pannonio, vixit annos XLII. militavit annos XXII. triere Hercule. Apud eundem p. DCCCXLIII. extat haec inscriptio:

D. M.

M. POMPEIO

SENECAE. DEL

VIX. AN. L. MIL

ANN. XXV. III. AO

M. AVRELIVS

MVS. EX. EAD

cuius quintus versus a Muratorio explicatur sic: *militavit annos XXV. triremi Augusto s. cuius insigne imago Augusti erat.* Cupidinem autem, cum pluribus Diis Deabusque, navium apud veteres insignia effecisse, inscriptio probat, quam idem MURATORIUS p. DCCCLX. 7. exhibuit:

LVCIO

VALENTI

MILITI. CLASS. PR

MIS. III. CVPID

i. e. *Lucio Valenti, militi classis praetoriae Misenatis in triere Cupidine*. Conf. erudita ENSCHEDEI dissertatio *de tutelis et insignib. navium*. L. B. 1770. disceptatore DAV. RUHNKENIO publice defensa, et in huius *opusc. orator. philol. critic.* L. B. 1807. 8. p. 257—305. *denuo edita*.

Cum medici militares milites vulneratos, omninoque aegrotantes sine ulla mercedis spe curare, adeoque remedia, quibus illorum sanitas, quocunque tandem modo concussa et fracta, in integrum restitui poterat, gratis suppeditare deberent, facile intelligitur, iis et horum sumtum et periculorum molestiarumque, cum hoc vitae genere coniunctarum, damnum publice sarcien- dum fuisse. Id variis privilegiis ac immunitatibus, medicis inde ab Augusti aevo concessis, senioribus autem temporibus salario adeo constituto, effectum esse constat.

Ut autem haec disquisitio ordine quodam procedat, primo de iis privilegiis et iuribus agam, quae medici militares cum omnibus omnino eiusdem professionis sociis communia habebant; dein enumerabo illa, quae medicis militaribus priva erant. Ad priorem vero privilegiorum classem pertinet ἀτέλεια, quam Antonius Musa, cum Augustum, de vita sua desperantem, servasset, eiusque sanitatem balneorum frigidorum et gelidi potus usu confirmasset, praemii loco acceperat, DIONE CASSIO (*histor. roman.* lib. LIII. p. 725. ed. Reim.) teste: Ἀντώνιος τις Μούσας καὶ ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις ἀνέσωσε (Augustum) καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρὰ τε τοῦ Ἀυγούστου, καὶ παρὰ

τῆς βουλῆς πολλὰ, καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι τήν τε ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις, ἔλαβεν. Quod quidem ἀτελείας privilegium quibusnam finibus sit circumscribendum, inter viros doctos dissensio obtinuit magna. Fuerunt enim, ad quos H. LAMPE *de honoribus privileg. et iurib. singular. medicor.* Groningae 1755. 4. p. 101. et p. 259. est referendus, qui non contenti, quod Augustus medicos omnium aetatum a vectigalibus, proprie sic dictis, pendendis liberaverit, illos ab omnibus omnino oneribus publicis, cuilibet civi ferendis, immunes esse vellent, hoc imprimis argumento usi, quod Suidas (addo Zonaram) ἀτέλειαν per ἀλειτουρῆσιν *) explicet, quam vocem tanquam minus probam (ἐυτελῆ) notat POLLUX *onom.* VIII. 156. Sed hoc argumentum nimis leve esse videtur, quam ut ad illorum opinionem confirmandam pondus atque momentum quoddam habere possit. Equidem potius in ea sum sententia, ut credam, ἀτέλειαν non nisi immunitatem a vectigalibus solvendis comprehendisse. Erat enim hoc ipsum iam permagnum beneficium, quo medici prae reliquis civibus cumulabantur, nec si ab aliis omnibus oneribus immunitas ab Augusto concessa fuisset, opus erat, ut seniorum temporum imperatores medicis, quibus novum favoris testimonium exhibere cuperent, vacationem a muneribus civilibus, a necessitate hospitum recipiendorum, et quae sunt alia, peculiaribus constitu-

*) Saepius occurrit haec vox in *Corp. iur. civ.* v. c. Digest. lib. XXVII. tit. 1. de excusat. p. 993. ed. Beck. p. 995. 997. 1004. al.

tionibus concedere deberent. Vectigalia autem antiquitus vel ex agris, vel e pascuis, vel e portubus collecta, atque pro diverso, unde fluebant, fonte diversis *decimarum, scripturae* et *portorii* nominibus insignita fuisse constat. Seriore tamen aevo vectigalium variae formae sensim sensimque *ad lacerandas liberius subiectorum fortunas*, ut PROCOPII (*anecd.* p. m. 108.) verbis utar, ita multiplicabantur, ut nihil fere cogitari posset, quod iis non esset subiectum. Longum satis illorum indicem exhibuerunt et SAM. PITISCUS in *Lex. antiquit. Roman.* to. II. p. 1058. sq. et PET. BURMANNUS *de vectigalibus pop. Rom.* L. B. 1734. 4. inter quae vectigal pro umbra, a PLINIO *hist. natur.* XII. 1. commemoratum, et vectigal pro aëre, quem inspiramus, ab Imperatore Michaële Paphlagone exactum, duas constituunt formas, quae a nostrae aetatis fisci augendi studiosis hactenus neglectae sunt. Hoc autem ἀτελείας privilegium ad ea pertinet, quae, ut cum Modestino, celeberrimo tertii seculi Icto, loquar, *generaliter tributa eo iure, ut ad posteros transmitterentur, in perpetuum succedentibus durant.* Vid. Digest. lib. L. tit. 6. fragm. 4. edit. Lipsiens. to. I. pa. 2. p. 1111. *Corpor. iur. civil.*

Praeter hanc a tribus, quas enumeravi, vectigalium formis immunitatem medici ab aliis quoque muneribus civilibus immunes erant. Munera autem civilia quae sint, docuit Hermogenianus, qui Constantini M. tempora ornavit, libro I. Epitomarum. Ea scilicet duplicis generis esse praecepit. Alia enim patrimonii, alia personarum esse; in illis *sumtus maxime postulari*, haec autem universim talia docuit esse, *quae corporibus, labore, cum sollicitudine animi ac vigilantia prin-*

cialiter existant. Ad hanc igitur munerum civilium classem pertinet tutela et cura adulti furiosive, item prodigi, muti et ventris etc., quae cum multum habeant molestiae, a plerisque solent declinari. Ab hisce igitur muneribus immunes medicos esse voluit plurimum Imperatorum favor, quorum leges huc spectantes in Corpore iuris cum Iustiniani, tum Theodosiani reperiuntur. Hinc Herennius Modestinus scribit: γραμματιζοὺς, σοφιστάς, ῥητοράς, ἰατροὺς τοὺς περιοδευτὰς καλουμένους, ὥσπερ τῶν λοιπῶν λειτουργιῶν, οὕτως δὲ ἀπὸ ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας ἀνάπαισιν ἔχειν. Digest. lib. XXVII. tit. 1. fragm. 6. p. 995. to. I. pa. 1. ed. cit. Περιοδευτὰς H. LAMPPIUS l. c. p. 262. voluit illos medicos vocatos esse, qui regionatim et per omnes unius urbis vicos artem faciebant, seu qui aegrotos suos, ut SENECA *de benef.* lib. VI. c. 15. p. m. 550. ait, perambulant, h. e. circumeundo visitant. Eodem modo Graecos dicere legi τοὺς φύλακας περιοδεύειν, *custodes circumeundo inspicere.* Opponuntur eiusmodi medici iis, qui domi exspectant aegrotos, ut illis aut apta remedia commendent, aut ferrum ignemve admoveant. Eiusmodi locus, quo semper promptum paratumque medici auxilium inveniri potest, describitur iam ab HIPPOCRATE libro *de medico* (to. I. p. 57. seq. ed. Lips.).

Neque vero his tantum emolumentis et praerogativis ornari medicorum ordinem Imperatores iusserunt, sed sensim sensimque multa alia addiderunt similis favoris testimonia. Ut hoc probem, adferam Commodi Imperatoris constitutionem, qua ex Antonini Pii epistola, brevi post imperii sui initium scripta, plura immunitatum specimina enumerantur, quibus ille Impera-

tor philosophos, rhetores, grammaticos et medicos frui voluit. Huc pertinet immunitas a praefecturis gymnasiorum, et sacerdotii, a frumenti, vini oleique emtione, a iudicis persona et legatione suscipiendis, a coacta militia facienda etc., quae omnia ad personalia munera referuntur. Cons. Digest. libr. XXVII. tit. 1. fragm. 6. to. I. pa. 1. p. 995. ed. Lips. coll. cum Digest. libr. L. tit. 4. fragm. 18. tom. eiusd. pa. 2. p. 1107.

Sed cum eorum numerus, qui se medicos profitebantur, ut privilegiis huic ordini concessis fruerentur, nimium augeretur *), et metuendum esset, ne tandem rei publicae deessent viri, eiusmodi muneribus administrandis idonei, certus quidam medicorum numerus finitus ac constitutus fuit, qui illorum beneficiorum participes fieri poterant. Quam ob rem Adrianus, cum medicis immunitatem a tutela et cura concederet, disertis verbis addidit, illo beneficio non nisi eos afficiendos esse, qui in-

*) Id luculenter ex Ulpiano patet, qui libro VIII. *de omnibus tribunalibus* etiam obstetrices ad medicos referendas esse putavit, quoniam *utique medicinam exhibere videantur*. Neque penitus medicorum nomine indignos censet eos, *qui alicuius partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur, ut puta, si auricularius, si fistulae vel dentium*. Quamquam hanc sententiam dubitanter pronuntiavit. Medicum autem accipiendum non esse adfirmavit, *si quis incantaverit, si imprecatus fuerit, si, (liceat vulgari impostorum verbo uti) exorcizaverit: non esse enim ista medicinae genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum praedicatione adfirment*. Digest. libr. L. tit. 13. fragm. 1. p. 1123. ed. laud.

tra numerum a se praefinitum sint. Vid. DION. GODOFREDUS ad Cod. Theodos. lib. I. de medic. et profess. to. V. p. 24. Huc quoque alius Codicis locus spectat (Lib. X. tit. 52. const. 5.), quo Imperatores Diocletianus et Maximinus declarant: *Nec intra numerum praestitutum ordine invitos medicos immunitatem habere, saepe constitutum est, cum oporteat eis decreto decurionum immunitatem tribui.* Ex hoc ipso loco simul apparere videtur, quorum arbitrio commissura olim fuerit, eos medicos eligere, qui intra numerum esse deberent. Hic numerus qualis fuerit, ex epistola Imperatoris Antonini Pii, quam scriptam quidem ad Asiae communitatem, toti autem terrarum orbi convenire MODESTINUS libr. II. *Excusationum* *) testatur, manifestus est. Minores enim urbes non nisi quinque, maiores septem, maximas denique decem medicos immunitatis iure beare posse, constituit Imperator, et ne urbes minores pro maioribus, maiores pro maximis haberi possent, accurate finivit, quales urbes ad quamlibet harum classium sint referendae. Per maximas autem urbes intellexit metropoles, per maiores vel forum causarum, vel loca iudiciorum, tertiae denique classi reliquas omnes adiudicavit.

Supersunt patrimonii munera, quae alteram munerum classem efficiebant, a quibus num. medici immunitatem habue-

*) Digest. lib. XXVII. tit. 1. fragm. 6. p. 994. to. I. pa. 1. *Cod. iur. civ.* ed. Lips.

rint, alia scribendi occasione dispiciendum erit. Nunc enim indicenda est solemnitas academica, qua Candidato Praenobilissimo et Doctissimo

EDUARDO GUILIELMO GÜNTZ,

BACCALAUREO MEDICINAE DIGNISSIMO,

summorum artis salutaris honorum ornamenta solenni, qui in nostra academia obtinet, ritu tribuenda sunt. Scripsit autem is de vitae suae hactenus actae, deque studiorum ratione, qua se illis honoribus dignum reddere studuerit, ad me sequentia:

Natus sum Wurcenae, anno M. D. C. C. C. Cal. April. patre Iusto Guilielmo, exactore portorii superiore, quem anno superiore morte mihi ereptum pie ac sincere lugeo, matre Guilielma Gertraud, e gente Zangenia, cui matri dilectissimae vitam longissimam felicissimamque ex intimo pectore apprecor. Prima et religionis et literarum elementa praeceptoribus domesticis debeo. Anno aetatis decimo tertio Lycei, quod Vitebergae floret, adscriptus sum discipulis, ibique per quatuor annos exquisita optimorum virorum, WEICHERTI, nunc scholae Grimmensis Rectoris Celeberrimi, SPITZNERI, mirifice de me meriti, et NIETZSCHII usus sum institutione. Anno h. s. XVII. Dresdam me contuli, ibique academiae medico-chirurgicae frequentavi prae-

lectiones. Mathesin ab HAANIO accepi, studii medici Methodologiam et Encyclopaediam RASCHIGIUS mihi tradidit, in Zoologia, Botanica et Mineralogia b. TREUTLERUM secutus sum et Physica atque Chemia FICINUS me imbuit. Physiologiam et Anatomiam theoreticam SEILERUS, practicam PECHIVS, Pathologiam generalem et Materiam medicam FRANCKIUS, Chirurgiam OHLIUS et KLEMMIUS, Therapiam KREYSSIGIUS me docuerunt.

Anno h. s. XIX. Lipsiam petii, atque a Magnifico t. t. Rectore, b. ROSENMUELLERO, inter cives academicos sum receptus. In hac autem Alma literarum Universitate interfui praelectionibus philologicis b. SPOHNII, historicis BOETTIGERI, mathematicis MOEBII, philosophicis HEINROTHII, physicis et chemicis b. GILBERTI et ESCHENBACHII, botanicis et zoologicis SCHWÆGRICHENII, anatomicis b. ROSENMUELLERI et BOCKII, physiologicis HAASII et WEBERI, pathologicis KUEHNII, de materia medica HAASII.

Mense Martio a. M. D. C. C. C. XXI. examen pro Baccalaureatu subii, quo facto iter feci in insulam Rugam, in quo itinere Berolinum, Gryphiam, Rostochium, et Gottin-gam adii. Lipsiam redux audiui SCHWARZIUM de arte formulas medicas praescribendi, PUCHELTUM de therapia speciali et exanthematibus, b. LUDWIGIUM de ophthalmiatrice JOERGIUM de arte obstetricia, de mulierum atque infantum

morbis, *HAASIUM* de pyretologia disserentes. Chirurgiam et medicinam forensem *KUEHNIUS* mihi tradidit, vir omni modo de me optime meritus. Duce *IOERGIO* in instituto Trieriano arti obstetriciae practicae operam impendi, simul scholam policlinicam sub moderamine *PUCHELTII* florentem frequentavi, et sub auspiciis *CLARI*, *KUHLII* et *WENDLERI* per annum et quod excurrit, aegrotantibus in instituto regio clinico mederi periclitatus sum. His praeceptoribus omnibus, qui praestantissima doctrina, indefessa diligentia et summa humanitate me instituerunt, ad cineres usque colendis, decentissimas iam publice persolvo gratias.

Examine pro venia artem obstetriciam exercendi sub finem a. M. D. C. C. C. XXII. superato, contigit mihi esse tam felici, ut ab Ill. *IOERGIO* dignus haberer, qui munere amanuensis et socii in praxi, tam publica, quam privata, fungerer. Quodsi vitam in hoc munere obeundo per quatuor fere annos peractam animo reputo, non habeo revera, quomodo, quid sentiam, verbis exprimam, nec quomodo satis religiose grates persolvam, quibus erga praeceptorem dilectissimum pectus plenum est redundatque. Tanta enim summi favoris, imo amoris vere paterni documenta mihi exhibuit vir Illustris, ut eum ad extremum vitae spiritum pie veneraturus sim.

Mense April. anni praeterlapsi examen subii, quod vo-

cant rigorosum. Iam cum semper cupiditate flagrarem, clinica instituta peregrinarum terrarum visendi, POTENTISSIMUM SAXONIAE REGEM supplex adire ausus sum, ut pro indulgentia sua rerum mearum angustiam adiuuaret. Annuit his precibus POTENTISSIMUS REX, mihiq[ue] datum est beneficium, quo adiutus iter in Gallorum, Italorumque metropoles hoc ipso anno suscipere apud animum constitui.

Cum Candidatus Doctissimus in omnibus cum illo institutis tentaminibus tam praeclaram rerum medicarum cognitionem Ordini Nostro exhibuisset, ut unanimi omnium consensu Dignissimus censeretur, in quem Doctoris medicinae et chirurgiae titulus et cum hoc titulo coniuncta iura ac privilegia conferantur, dies X. mensis Aprilis constitutus est, quo publica disputationis ab Ipso de *via ac ratione, qua in instituto Trieriano artis obstetriciae usus et docetur et exercetur*, scriptae defensio contra dissentientes suscipienda erit. Hoc eruditionis specimine, moderatore Excellentissimo CHRIST. GOTTHOLD ESCHENBACHIO, Collega coniunctissimo, rite edito, ego, cui Cancellarii vices traditae sunt, brevi oratione praemissa, Licentiati medicinae et chirurgiae dignitatem, quae apud nos viam ad summos artis salutaris honores pandit munitque, in Candidatum Praenobilissimum Doctissimumque conferam.

Cui quidem solemnitati academicae ut RECTOR ACADE-
MIAE MAGNIFICVS, PRINCEPS SERENISSIMVS, COMI-
TES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQUE REIPV-
BLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES DILECTISSIMI
frequentes interesse, atque sic Ordini Nostro et Candidato lu-
culentum favoris sui documentum exhibere velint, observan-
ter rogo.

P. P. Dominica Palmarum A. R. S. cl^oIdcccxxvii.

L I P S I A E

LITERIS STARITZII, TYPOGR. VNIVERS.
